

Letter 68: 5 January [1521], Basel, Konrad Heresbach to Capito

The manuscript of the letter is in the Archive Municipale, Strasbourg, AST 40, # 58, fol. 435.

5 S. Scripseram diebus superioribus ad te, doctissime Capito, amitius profecto quam accuratius, tantum enim aberat ut literas relamberem ceu ursae suos foetus solent, ut etiam rescribere non liceret. Quas tamen tibi bona fide redditas, Claudius rediens affirmavit. Porro quod nihil responderis non possem tibi admodum succensere, gravioribus nimirum negotiis districto quam ut meis quibusvis nugis vacare queas. Unum tamen rursus per literas contendo, ut si quid isthic in rem meam esse cognoveris, continuo me faceres certiore. De Friburgo Philippus Engentinus nonnihil rettulit, verum incerta omnia et dubia. Ego spem pretio non emam, poterit tamen dignatio tua per literas non gravatim subodorari. Nisi ante Aprilem certi quidpiam obtigerit, concessurus sum in Italiam ad N. rursus animum adiecturus quod iam olim ob  
10 graecarum literarum studium fastidire coepi.

Nihil hic est novi quod isthic non sit vetustum, felicem me putarem si vel verbulum ad nos per otium scribere possis.  
Bene vale, o meum praesidium et dulce decus meum. Basileae, pridie Magorum. Conradus tuus  
15 Hertzbachius. Adiunctas litteras obsecro ne te pigeat ad Adamum Weys transmittere, qui ceteras deinceps Coloniam curabit deferendas.